UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii, Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Maximvs Salisbvrgensis Presbyter Et M. Alijs Episcopvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79686

Visual Library

S. MAXIMVS M. ET PRESBYTER SALISBVRG.

Pendet ab infami tua Myſtes arbore virtus,
Qui magno maius MAXIME *nomen habes.*
Sed tulit æternam crucis hæc infamia famam,
Infamémq; tuis hoſtibus usq; crucem.

Sic pendere iuuat, trahit hic ad ſidera neruus:
Arduus eſt trames, certus ad aſtra gradus.
Si magus ille Simon hoc Cœlum calle petiſset,
Lapſus fregiſset non ſua crura deus.

S. MAXIMVS

SALISBVRGENSIS PRESBYTER ET M.

Alijs EPISCOPVS.

ETſi Auentinus & Lazius hunc Iuuauienſem ſeu Salis- cccc
burgenſem Epiſcopum tradunt, faciunt tamen hoc LXXVI.
ſine tabulis & teſtibus, cùm exertè Eugippius ſan- *Eugippius.*
ctum Presbyterum appellet: *Sanctum quoque Maximum,* *Scholiaſtes Eugippij. Lazius*
inquit, *ſpiritualis vitæ presbyterum inſtantius imperat admo-* *Auentinus.*
nere, vt ſaltem ipſe contemptoribus derelictis, properaret à cæleſti miſericordiâ liberari, de quo ſibi Dei famulus magnam dicebat ineſſe mœſtitiam, ne fortè ſalutiferum differendo mandatum, imminenti ſubiaceret exitio. Prædictus itaque pergens imperata ſuppleuit, & reliquis incredulitate nutantibus, nuncius viri Dei presbytero retinenti ſe, atque hoſpitalitatem præbere cupienti, nullatenus acquieuit. Quâ nocte Heruli inſperatè protinus jrruentes, oppidúmque vaſtantes, plurimos duxêre captiuos, presbyterum verò memoratum patibulo ſuſpenderunt. Quo audito, ſeruus Dei grauiter doluit præmonitos non curaſſe.

Fidem facit de Presbytero, non Epiſcopo, ſyllabus Epiſcoporum Salisburgenſium, in quo nullum de Maximo verbum. Nec plura, quod meminerim, de hoc leguntur, niſi in Hypogæo, vt in auersâ paginâ vides.